

de illa. Tandem, post aliquot annos praefata mulier nupsit alteri pagano; deinde facta est christiana. Secundus vir non vult converti, et primus, qui est legitimus maritus et etiam paganus, adhuc vivit. Unde humiliter quero:

1. Utrum illa mulier, si esset in bona fide circa nullitatem posterioris sui matrimonii, posset in eo tolerari, et post sufficientem instructionem baptizari.

2. An satius esset ei differre Baptismum, quia tandem posterior eius vir convertetur, vel saltem consentiet ab ea separari? Sed etiam in hoc ultimo casu, quid et quomodo agendum si illa mulier graviter aegrotaret? Ante separationem essetne baptizanda?

R. Ad 1. Mulier certior facta de nullitate secundi matrimonii, separata a secundo viro et sufficienter instructa, baptizetur; deinde interpelletur primus vir utrum velit converti, vel cohabitare cum muliere absque iniuria Creatoris; quatenus in infidelitate remanens, vel nolit absolute cohabitare, vel etiam nolit cohabitare absque contumelia Creatoris, mulier nubere possit alteri viro catholico.

Ad 2. Provisum in primo. Quod si mulier graviter aegrotaret, si ipsa, quantum est in se serio promittat simul ac convaluerit separari, baptizetur.

2270

S. C. Indulg. 12 Iulii 1847. — VALENTINEN. — Quando ad Indulgencias lucrandas praescribitur oratio pro fine determinato v. gr. pro extirpatione haeresum etc. an requiratur intentio explicita, expressa singulis vicibus.

R. Negative.

2271

S. C. Concilii 25 Sept. 1858. CAMERACEN. — 1. An parochus qui duas parochias regit, et ideo bis in die celebrat, utrique parochiae suam Missam applicare teneatur, non obstante reddituum exiguitate.

2. An parochus qui in una eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque Missam populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur.

3. An et quomodo concedendum sit parochis qui diebus dominicis aliisque festis bis celebrent, ut unius Missae liberam habeant applicationem, et stipendium pro ea recipere valeant in casu.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa.

Ad 3. Negative, et Episcopus provideat ad formam Constitutionis Bened. XIV. *Cum semper oblatas* § 8 (1).

2272

S. C. S. Off. 22 Maii et 19 Dec. 1860. —

SOUTHWARK — Post plorandam erectionem tribunalis anglici, per cuius decretum dissolvi solent matrimonia quoad vinculum, adeo ut conjuges possint ad nova matrimonia transire, quaeritur: — 1. Utrum advocatus catholicus possit licite in dicto tribunali actoris causam sustinere, et vinculi matrimonii solutionem a iudice postulare.

2. Utrum advocatus catholicus licite possit defendere causam partis conventae, contra actorem vinculi solutionem exquirerentem.

3. Utrum catholicus possit tamquam iudex in dicto tribunali sedere, vel tamquam iuratus, ut dicitur, cum aliis iuratis assistere.

4. Utrum liceat advocati, iudicis, vel actoris partes agere quando finis litis est simplex separatio absque ulla sententia nullitatem matrimonii secum trahente.

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Dummodo Episcopo constet de probitate advocati, et dummodo advocatione nihil agat quod a principiis iuris naturalis et ecclesiastici deflectat, posse tolerari.

Ad 3. Negative.

Ad 4. Dummodo pars catholica nullum aliud tribunal adire possit, a quo sententiam obtineat separationis quoad thorum et mensam, et dummodo sententia huius tribunalis nullum alium habeat effectum quam separationem praedictam, posse tolerari ut catholici in eo foro actoris et advocatione partes agant, dummodo adsinist instae separationis causae iudicio Episcopi, et si quid habeat praeterterea dubii, recurrit, plenius exponens omnes circumstantias et legis dispositiones. — SS^mus suffragium Emorum PP. confirmavit.

2273

S. C. Indulg. 18 Aug. 1868. — AURELIANEN. — Etsi Vicarius Generalis vi officii sibi generaliter commissi expedire possit ea negotia, quae ad ordinariam Episcopi iurisdictionem spectant; nonnulla tamen exercere ne-

Circa advocates
et iudices catho-
licos in causis de
divortio.

(1) Haec loc. cit. habentur: «..... Quod pertinet ad praedictos parochos egentes, unicuique vestrum (Episcoporum) facultatem concedimus, cum iis quos revera tales esse neveritis opportune dispensandi, « ad hoc ut, etiam diebus festis huiusmodi, eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, et pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur,

« libere et licite possint et valeant; dummodo ad necessarium populi commoditatem, in ipsa ecclesia parochiali Missam celebrent; ea tamen adiecta conditione ut tot Missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurribus iuxta peculiarem intentionem alterius pili benefactoris obtulerint ».

An Vicarius ge-
neralis erigere
possit Confrater-
nitates et earum
statuta appro-
bare.